



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Res à S. Ignatio Loiola Societatis Iesv Parente Gestæ

Ribadeneyra, Pedro de

Coloniae, 1622

Christum videt. 53

urn:nbn:de:hbz:466:1-44900

maligna maritimam expeditionem moliretur: abstinere tamen haud potuit, quin perseveraret. Ita abire obstinato, circiter octo numos aureos amici in naulum obtulere. §2 Quibus ille, ceu temerè acceptis, mox sollicitari animum persentit: & arbitratus haud decere, ut quæ sita paupertas peculium haberet, eosdem occurrentibus in via mendiculis dispertit. Exinde cupidus vltima rursus experiri, Venetias petit. In quo itinere nullis plerumque testis acceptus, sub dio decubare: adhæc obuij hominem ignotum, palloreque exanguem ac macie deformatum pro spectro fugere: & mortis simulacrum auersati, nusquam in comitatum admittere. Verùm ab humana consuetudine exclusum, non etiam cælestia deseruere. §3 Iam à fossa Claudia Patauium ibat, cum in aperto
quo

quodam planoq; equore, sociū se illi Christus addidit, suiq; spectaculo suauissimè delibutū, ad plura posthac toleranda erexit. Ille lætitijs omnib. perfusus, Patauiū venit: aditu, quod in ea locorum custodia vix credas, nusquā impedito. 54 Venetias inde mouit, vbi Caroli Cæsaris legatum reperit: ciuem quidem suum, & à se vtiq; non alienum: eum tamen sibi appellandum non putauit, ne quem ab homine fauorem nūdinari videretur, diuino contentus. In vrbe, nouæ de integro difficultates ipsius profectionem eludere conatæ. Nam inter multa & nuper capta à Turcis Rhodus memorabatur, auspicijs Solimanni, nostra tum clade felicitis: & ipsemet **IGNATIUS** febrile non obscure incipiebat. Tamen nihil omnium fuit, quod animū ab incepto dimoueret. *Quin ea se esse spe ferebat,*